



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Item cùm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

Porrò maior necessitas requiritur, vt delegatus superiorem suum cogere possit ad causam sibi à Principe commissam suscipiendam: Et in ea ipsa coactione, aut pœnæ illatione dignitatis rationem habere debet, iuxta ea quæ dicta sunt suprà in c sanè, 11. hoc tit. Et videri possunt, quæ hic congerunt Barbatia col. 4. Felinus n. 1. & seqq. de personis nobilibus, aut in dignitate constitutis plerumque mitiū puniendis, saltem pœna corporali, aut simili: nam talis pœna in maiore seu dighiore persona maior censetur. Verùm in quibusdam casib⁹ delictum specialiter aggrauatur, propter delinquentis dignitatem & auctoritatem, vt in perfidia, perjurio: quare & poena augeri debet, iuxta c. cùm quidam, de iure iur. 12. iun. Gl. ver. dignitate. Rectè autem Gl. hīc ver. si coercitionem, ostendit, quod Princeps delegatus ex iusta causa cogere possit subdelegatum, & acceptare renitentem punire. Quia delegare est mandare, seu præcipere: quamobrem fieri non potest, nisi erga personam iurisdictioni delegantis subiectam, vti habetur in l. vn. C. Qui prosua iurisdictione, &c. Atqui potestas præcipiendi s̄pē inutilis esset, & illusoria (vt in seq. etiam c. habetur) nisi adiunctam haberet potestatem pœnam inferendi, saltem modicam, seu leuem. Estenim alia punitio maior, quæ directè infertur personæ per tormenta, carcerem, cibi subtractionem; alia modica, quæ est pecuniaria mulcta, vti ex Baldo hīc refert Imola n. 16. Abb. n. 9. Sed & Ecclesiastica censura, præsertim excommunicatio ad maiorem coercitionem spectat: Imò etiam honorum confiscatio, aut magnæ bonorum partis priuatio: siquidem quia etiam ea in personæ notabilem afflictionem redundat.

### §. Item cùm.

**S**icuti delegatus causam totam alteri subdelegare potest, ita & partem seu articulum aliquem v.g. partium citationem, & renitentem compellere, ac punire.

Probatur: Quia quod iuris est in toto quoad totum, idem iuris est in parte quoad

partem, l. quæ de tota, 76. iun. Gl. ver. dicta sunt, ff. de rei vindic. Et habet hæc regulam, inquit Abb. hīc si eadem sit ratio partis, quæ totius: v.g. Qui mala fide fundum alienum possidet, debet eum cum fructibus omnibus restituere, ergo etiam qui partem fundi alieni mala fide possidet, cum fructibus eius restituere cogitur.

### S. Præterea.

**P**apa aliquibus commisit causam, remota appellatione. Sed Titius conuentus nihilominus appellauit ad Pontificem, isque causam alijs iudicibus postea delegauit, que rebatur, utrūm priorum Iudicium iurisdictione & sententiæ eorum executio suspensa censi debeat? Respondeat Papa Innoc. Si Papa ex certa scientia appellationis causam alijs Iudicibus committat, tum censemendum esse remocare iurisdictionem priorum Iudicium, vt interim executio sententiæ suspensa esse debeat, donec de causa appellationis cognitum fuerit.

**N**OT A N D V M Vn. Licet rescriptum p̄ sterius, quod est contrarium priori, nulla facta mentione reuocationis, subreptum censeatur, iuxta c. 3. de rescript. tamen hæc regula limitari debet, nisi Papa ex certa scientia posterior rescriptum mittat, tum censemetur priori derogare, quatenus contrarium est. Ut in propulo calu: Papa delegauerit causam, appellatione remota: postea admitti appellatione rescriptis ad alios Iudices, vđe eius iustitia cognolanceret, hoc casu, si vel in rescripto posteriore addita sint verba, ex certa scientia, vel ex adiunctis seu alijs narratis appareat, Pontificem sciuisse, quod cum prius commissa fuerit, appellatione remota, priorum Iudicium iurisdictione, & sententiæ executio interim suspensa esse debet.

**Q**UÆRES I. Si tantum suspensa est iurisdictione priorum iudicium, donec posteriores cognoscant, quare dicit hīc Pontifex, iurisdictionem priorum Iudicium reuocari? Respondeo: Reuocari non absoluē, sed secundum quid, quatenus ipfis concessa erat, remota appellatione.

**Q**UÆRES II. Si posteriores Iudices contra